

[289]

AD TARQUINIAM MOLZIAM,  
DIAM MULIEREM

5                    *Cui dono sapidum, novum libellum*  
                      *Docto Graiorum pumice expolitum?*  
                      *Tarquinia tibi. Namque tu solebas*  
                      *Sophorum nimium amare chartas.*

Cui enim omnium hominum laudabilius lucubrationes meas  
donarem, quam tibi, viraginum omnium, quot sunt, quot fue-  
10 runt, quotque alios erunt in annos, doctissimae? Non tu uti aliae  
solent, summis labris libros attigisti. Tu non modo Hetruscam  
politissimam linguam sed Latinam, sed Graecam optime calles.  
Tu in hac non modo historicos atque oratores, sed et philosophos,  
sed et Platonem ipsum Iovis eloquium aemulantem, sed et poetas  
15 quoslibet, sed et Pindarum sine haesitatione ulla et legis et intel-  
ligis. Hanc tu, quod omnium hominum admirationem vincat, in  
Platone tribus mensibus me praelegente edidicisti. Tu in Latina  
omnium generum carmina pangis, in Hetrusca poemata condis,  
quam salita, Iupiter, atque arguta? Tu logicas omnes spinas de-  
20 metisti. Tu moralem philosophiam, Plutarchicam, Aristotelicam  
Platonicamque ebibisti. Tu magnos profectus in physiologia fe-  
cisti. Tu theologiam catholicam toto pectore hausisti. Quid mu-  
sicen omnis generis referam? In qua te omnis, non modo mu-  
sicorum, sed et Musarum chorus et admiratur et stupet. Te ne